





1. Michaelis / Joh. Georg. / diff. de viro stante
inter Myrtos, Halle 1739.
2. Moller / Christoph Gottfr. / diff. de Genuina
vorum xarakter et ypostasi notione,
Lippſie 1738.
3. Morheim / Joh. Laur. / diff. de jefu Christo
vindice dogmatis de mortuorum ad
vitam reditu, Helmſt. 1740.
4. Müller / Gottfr. Ern / diff. de papolatria.
Lippſie 1726.
5. Müller / phil. / diff. de jure Dei in Homines;
jena 1701.
6. diff. de regno Israelii reſtauran-
do, jena 1704.
7. crocodilus lachrimans, jena 1733
8. diff. de Jefu Christo deandropo, jena
1704.
9. diff. de gloria mundi jena 1661.

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
MISSIONARIIS
PONTIFICIORVM

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDERICO AVGVSTO
PRINCIPE REGIO, ET ELECT. SAX. HEREDE
ETC. ETC. ETC.

SUB PRAESIDIO

DN. JO. GEORGII NEVMANNI
SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. ALVMNORVM
ELECT. EPHORI

ET ACAD. BIBLIOTHECARI

DOMINI, PATRONI AC PRAECEPTORIS SVI
AETERNA MENTIS OBSERVANTIA COLENDI

AD D. SEPTEMBR. A. O. R. c15 15 cc II.
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

M. JO. LAURENTIVS HOLDERRIEDERVS
WEISSENFELSA - MISNICVS.

EDITIO SECVNDA.

VITEMBERGAE, LITERIS GERDESIANIS.



DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
MISSIONARIIS
PONTIFICIARVM

QVAE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI
D. FRIDERICO AUGUSTO
PRINCIPIS REGIO ET ELECT. SAX. HERED.
ETC. ETC. ETC.
SUB PRÆSIDIO

DN. JO. GEORGH NEUMANNI
SS. THEOL. DOCT. ET PROM. PUBL. ALUMNORVM
ELECT. EPHORI
ET ACAD. BIBLIOTHECARIJ
DOMINI PATRONI AC PRÆCEPTORIS SMI

LIBRARIJ MENTIS GERMANICÆ COLLEGIJ
AD D. SEPTEMB. A. O. R. CIV. P. C. C. L. II.
PUBLICE DEFENDET
LACTOR ET RESPONDENS
M. JO. LAURENTIUS HOLLERREIDERS
WESSENBERGIA - MISIONICA

Editio Secunda.
LIT. HERMANNI LIT. GERMANICÆ



S. I.



Ogitanti mihi de specimine Theologico, quod, ex jussu Venerandi Parentis, elenchum cum primis Antipontificium sistere debet, peropportune succurrit argumentum de Missionariis Pontificiorum, quo de tabulæ publicæ, quin & scripta ultro citroque edita nos hæcenus edocuerunt.

S. II. Nimirum, ut ab ovo rem ordiamur, Patres, ordinis Ignatiani, jam seculo XVI. Indiam Orientalem ingressi sunt, & Japoniam initio, postea Sinarum Regnum, ad cultum, fidemque, & ritus Romanensium pertrahere allaborarunt. Ac præ ceteris quidem Franciscus ille Xaverius hoc nomine inclaudit, quippe qui fundatis, ut tradunt CXL. Ecclesiis, id præmii retulerat, ut & Indorum Apostolus salutaretur, & Sanctorum catalogo, pro superstitione hujus sectæ, insereretur. De quo Vitam Xaverii vide apud *Ribadenciram in Vitis Sanctorum, p. 27.* Atque in hunc finem solenne illud Concilium, quod *Congregationem de propaganda fide* appellant, a Clemente VIII. institutum est, cui novem Cardinales totidemque consilarii præfecti sunt, in eo hodie occupati, ut rationes, opprimendi Evangelicos excogitent, ablegatisque in remotissimas terræ partes Missionariis, partim insidiis fraudibusque,

partim violentia atqve tyrannide fines Curiā Ro-
manæ latius proferant amplificentqve.

§. III. Citra controversiam igitur, & censuram hæc
gesta sunt a Patribus Societatis, usqve ad Annum
clō 10 c XXXIII. Ex quo tempore Vir ordinis Do-
minicani, *Ioannes Baptista de Morales*, & ex Francisca-
norum familia, *Antonius de S. Maria*, itemqve *Franci-
scus Dominicus Navaretta*, aliqve Sinas adierunt, &
exploratis Lojolitarum studiis perqvisitaqve inpri-
mis, qva in convertendis Paganis usi fuerant, me-
thodo, litem hisce sociis suis intentarunt: qvō gen-
tiles perverterent potius, qvam ad Christi cultum
converterent: qvō cultum Idoli *Chim Hoam* neo-
phytis permetterent, contra vero, ob metum scanda-
li, mentionem Christi crucifixi aliorumqve myste-
riorum aut nullam, aut rariorem injicerent; qvō
ad jejunia, ad Missam aliosqve ritus servandos non
adigerent catechumenos; qvō animas defuncto-
rum adorari sinerent, & qvæ hujusmodi erant plura;
unde præſagiebant illi, non conversionem, sed scæ-
dam qvandam Paganismi juxta & Christianismi con-
fusionem hinc orituram.

§. IV. Romam itaqve reversi Dominicani, Con-
gregationi de propaganda fide, XVII. ut vocant, *Quæ-
sita* offerebant, qvibus & praxin Patrum Societatis
improbabant, & fraudes detegebant non leves. His
illico se opposuit, qvi eo tempore Missionarium inter
Sinenses agebat, Fr. Furtadus, S. I. in *Responsō*, ut
vocat, *ad calumnias, qvæ imponuntur Patribus S. I. labo-
rantibus in Conversione Regni Sinarum*; cujus partes
Societas Ignatiana deinde suas fecit, omniqve stu-
dio defendit. Quibus adeo rebus factum est, ut
Anno

Anno clō Io c XLV. ex hac Societate *Martinus Martini* in istas Regiones excurreret, ad explorandas litigantium causas; qui quidem apud Sinenses longo tempore versatus est, & historiam Sinensem edidit aliquot libris; sed tamen, uti erat Societati Ignatianæ addictus, sic partium quoque studii infimulatus fuit, nec sublestæ fidei notam effugere potuit. Huic comes itineris datus fuerat *Prosper Intorcetta*, qui postea de *cultu Sinensium testimonium* publicavit, reculum Parisiis, clō Io cc. Nec minori studio societatis Ignatianæ causam egit *Jacobus le Favre*, Missionarius Sinensis, in *dissertatione Theologico-Historica, de avita Sinensium pietate erga defunctos, & cultu erga Confucium civili*, ed. Paris. clō Io cc. ut alios omittam. Tandem vero his altercationibus permotus Imperator Sinensium Anno clō Io c LXV. Dominicanos æque ac Patres Soc. J. Pekinum primo, deinde vero Cantonem abduci, atque in carcerem conjici jussit, quo per sexennium detenti, in libertatem denuo asserti sunt, & ad convertendos Paganos dimissi. Confer. *Acta de Sinensium ritibus politicis, a Fr. Philippuccio, S. I. recens edita, Paris. clō Io cc.*

§. V. Posthinc catervatim in has terras commearunt socii Ordinis Ignatiani, ut vel corrigerent male admiffa, vel saltem palliarent: ac contra Dominicanos tuerentur. Extat *Catalogus Patrum Societatis Jesu, qui post obitum S. Fr. Xaverii in Imperio Sinarum Jesu Christi fidem propagarunt, Auctore Philippo Cupletio*, ed. Paris. clō Io c LXXXVI. Ubi singulorum nomina, peregrinationes, mors, sepultura, libri etiam Sini- ce editi recensentur. Quin imo variis studiis blanditiisque eo adductus Imperator fuit, ut Anno

elo Io C XCII. publico promulgato edicto potestatem faceret Romano Clero, & privilegiis imperii fruendi, & Religionem suam libere propagandi. Quo crebriores autem peregrinationes eo susceptæ sunt, eo magis invaluere lites & controversiæ, sic, ut hodiernum acerrima utrinque contentio sit, quæ non ita pridem Pontificem R. adduxit, ut *Archi-Episcopum Antiochenum, Dn. de Tournon*, magno instructum comitatu, in Regnum Sinarum amandaret, ad diffidia Missionariorum feliciter componenda; quem vero exitum res habitura sit, ipse nos dies docebit.

§. VI. Ex his omnibus nunc quæstio relinquitur: *Utrum hodiernum Pagani per Missionarios ad Christum convertendi sint?* Quæ quidem quæstio decidi non potest, nisi *modus a re ipsa* distingvatur. Quod si enim de procuranda Paganorum salute quæras, nemo facile negaverit quæsitum: sin vero rationes & conversionis *modos* examines, tantum abest, ut Apostolici sint illi, ut potius apostatici, & ab ipsis Romanæ curiæ satellitibus, ut hætenus patuit, improbi. Robertus certe Bellarminus inter *notas Ecclesiæ* refert, studium convertendi Paganos, eoque, ut Hæreticos nos inclamat, quod nunquam aliquos Indorum ad Christi Ecclesiam perduxerimus. Nam triplicem ille conversionem Paganorum statuit. Primo loco ponit *conversionem Gentilium per Apostolos factam*: Altero loco enumerat *conversiones Gentilium, quæ in ætatem Gregorii, Cilianii, Bonifacii, Adelberti, Vincentii & aliorum* incidunt. Tandem vero tertio loco producit *conversionem Indorum ac aliarum novi orbis populorum*, quam, ut signum veræ Ecclesiæ, deprædicat, *Lib. IV. de notis Ecclesiæ c. XII.* Sed enim vero de
missio-

missionibus Apostolorum hic non disceptatur, quippe quæ divinæ omnino sunt, ideoque miraculis ex merito accensendæ. Quod vero ad Gregorii & Bonifacii tempora attinet, *desperata hæc secula erant*, ut B. Calovio alicubi vocantur; quandoquidem multum recedebant a puritate Apostolicæ doctrinæ, & metu armorum potius, quam verbi præconio Paganos ad Christum perducebant. Præclarum de horum temporum conversionibus iudicium B. Gerhardi est: *Post sextum Ecclesiæ seculum, inquit, labefactari cœpit doctrinæ puritas, superstitionibus paulatim irrepentibus, & fermento traditionum humanarum doctrinæ Apostolicæ admixto. Interim tamen, quia potuit DEUS etiam per corruptum ministerium filios & filias spirituales sibi generare, ac quia tempore Gregorii, Cilianî, Bonifacii nondum fuit tanta doctrinæ corruptio, quanta postremis temporibus consecuta est, ideo conversio illa Gentilium non desinit esse opus divinæ benignitatis, ac pretiosum a vili semper est separandum. In eo quoque conversiones illa posterioribus seculis factæ discrepant a conversionibus per Apostolos & Apostolicos viros, prioribus seculis factas, quod potius metu armorum ac violentia belli, quam efficacia doctrinæ fuerint factæ. Loc. de Eccles. §. 257.* Itaque de modo convertendi gentes, quo hodiernum Pontificii utuntur, unice *νεγρόμενον* superest, quem quidem nec Apostolicum, nec Evangelio Christi dignum esse contendimus.

§. VII. Quod si enim paulo diligentius modos examines, quibus Missionarii Pontificiorum in convertendis Paganis uti solent, ad duo potissimum capita illos revocare liceat; quorum alterum *vim ac tyrannidem*, alterum vero *fraudes ac imposturas Missionario-*

7472

id referas. Sæpe Religionem tantum præ se ferunt
 Principes, sed vera & præcipua plerorumque bello-
 rum causa est cupiditas habendi, & fines dilatandi
 libido. *Liceat, inquit B. Hülsemannus, hoc libere mihi
 profiteri, me, si Davidem, si Salomonem hodie in terris vi-
 dentes affirmare audiam, se solo puroque ac nudo amore
 religionis movere hoc aut illud bellum, & sumere arma in
 Naassum, Hamonem & vicinos Reges: submisso rogatu-
 rum deliberandi spatium, ad indagandum: Prophetico,
 an Politico spiritu id affirmassent? Dialys. Præf. p. 54.*
 Tum & nullum divinum mandatum urget, iteran-
 di doctrinam publicam apud ullam gentem, post-
 quam singulis jam olim verbum divinum annun-
 ciatum fuit. Certe, ad restitutionem beneficii to-
 ties rejecti DEUS non tenetur, ut idem Theologus
 probat, *Brev. cap. XIX. p. 1453. & Prælect. in F. C. Art.
 VIII. p. 442. seqq.* Late id exequitur Hugo Grotius,
 & ne jure quidem divino probari posse ostendit, ob
 Idololatriam, aut superstitionem populos bello infe-
 standos esse, *lib. II. Jur. Bell. & P. p. 892.* Sic & Ziegle-
 rus noster Franciscum a Victoria in hac controver-
 sia *κατὰ πῶδα* refutat, inter alia hoc argumento usus:
*Quod religionis jus non inter hominem & hominem sit,
 sed inter DEUM & hominem; nec proinde jus hominum
 violari ob diversam Religionem, nec adeo bellum inferen-
 dum esse causa Religionis, de Jur. Maj. lib. I. cap. 33. p. 372.*
 §. IX. Jam magnus se mihi campus aperit de
 Hispanorum tyrannide & sævitia differendi; qua
 Barbaros divexarunt. Integro id libro persecutus
 est *Bartholomæus de Casa, de Crudelitate Hispanorum in
 Indiis, 1599. in 4. edito.* Qvi ipse rebus gestis interfuit,
 atque hoc majorem impetrat fidem. Huic jungen-
 dus

duo Hieron. Benzo, Italus, & Joannes Lerijs, Burgundus, quorum alter Historiam India Occidentalis duobus Tomis comprehendit, alter Historiam Navigationis in Brasiliam edidit; uterque testis oculatus est, nec fide indignus. Et si fere in Historiis, quas edidit Hispani, Benzo inquit, virtutes suas laudibus in caelum ferant, scribantque, se assidue in illis terris pro Christiana fide pugnasse: res tamen ipsa perspicue demonstrat, eos in illis maxime provinciis sola avaritia incensos tot expeditiones & bella suscepisse; id quod ex Praefectorum & Gubernatorum avaritia demonstrat, qui ubi aurum & opes non invenerint, has terras ad DEI notitiam perducere delectantur, Lib. II. Hist. Ind. p. 203. Sic Ferdinandus Sottus, Gubernator, honorifice exceptus ab Indis, (advenas enim humeris gestant, quae mira inter Barbaros humanitas est, teste Lerijs, Hist. Navig. p. 256.) & quid in his terris quaereret? rogatus: per interpretem respondit, id quod fere alii omnes duces & praefecti: Se Christianum esse, filium DEI, creatoris caeli & terra: venisse eo, ut divina ipsius legis notitia eas Gentes imbueret. At quae Regulus inquit: Si DEUS tuus jubet, ut alienas terras latrocinando, urendo, trucidando, nec ullum sceleris genus praetermittendo, perambules, tibi mature denunciamus, fieri non posse, ut vel ei, vel ipsius legi credamus. Hoc responso confusus Gubernator discessit, Benzo lib. II. c. 13. p. 205. Aliquando cum plures Indi & plebeis permixti nobiles, festo quodam die canentes carmina cum tripudiis & solenni saltatu per urbem irent, recurrunt ad pompae celeberrimum spectaculum Hispani. Ibi simul ac auro & variis monilibus fulgentes cives conspicati sunt, victi effreni avaritia milites, una cum Alvarado, pudore

dore omni pessundato, hostili rabie in pompam ir-
ruunt, & turbam inermem promiscue cædentes,
aliis vulneratis, aliis interfectis, omnes aureis illis
ornamentis spoliant, *ibid. L. II. p. 207.*

§. X. Quid si recenserem plura; nec Albani
apud Belgas, nec Syllæ apud Romanos, nec aliorum
tyrannorum crudelitatem cum hac ipsa conferri
posse diceres. Quadraginta quinque annis, & quod
excedit, variis & portentosis carnificinis, plus quam
ducenties centena millia Indorum sustulerunt Hi-
spani, terris simul ad solitudinem reductis. Indos
non ut mancipia tractarunt, sed ne bestiarum qui-
dem loco habuerunt. Puerum, & illum quidem
Principis filium pro caseo, & centum personas
pro eqvo venditarunt; quin & aliquando pro uno
jumento dati sunt octingenti Indiani: tot homines
pro una bestia! Solebant truculentos alere Mo-
lossos, ad hoc edoctos, ut incitati, statim Indos in-
vaderent, discerperentque; atque hos quocumque
proficiscebantur, itineris comites assumebant,
additis simul hominibus Indis, quos ad istorum vi-
ctum, tanquam porcos, mactabant, sæpius uno
alterum compellante: *Da mihi frustum carnis Vellaci* (hoc contumelioso nomine vocabant Indos)
*pro pastu canum meorum; quod si ex meis unum occide-
ro, id tibi restituam.* Fuerunt alii, a quibus ex ve-
natione reversis, audire fuit: *Felix fuit venatio; mei
canes quindecim vel viginti Vellacos interemerunt.* E-
jusmodi venator, utut indignus nomine, fuit, qui,
cum inter venandum canes esurire nollet, infan-
tulum ex complexu matris surripuit, & confestim
brachiis ac cruribus abscissis, cuilibet canum par-
ticulam,

ticulam, qua devorata, trunci quoque corporis reliquias simul objecit. Desumpta hæc sunt ex Bartholomæo de Casa, cujus liber modo citatus per integrum legi meretur, confer Benzonem & Calvetonem in *Notis ad eund.* p. 295.

§. XI. Addo exemplum, uti maxime funestum, sic nullo non ævo cordatis detestandum. Mittam in compendium, quod copiosius ab auctoribus commemoratum est. Venerat in Indias Occidentales *Franciscus Pizarrus*, Gubernator & classis Hispanicæ Præfectus; qui Peruanas, utpote ditissimas auri provincias, exquisiturus, *Atabalibam* Regem istius terræ, cujus sedes *Cassiamalcæ* erat, offendit. Is, audito, peregrinam gentem fines suos infestare, per legatum monet Pizarrum, ut finibus suis excederet, nisi de vita periclitari vellet. At hic non offendendi animo, sed Imperatoris ac Regis sui jussu se advenisse, pacis ineundæ gratia, atque amicitiae utrinque conciliandæ regerebat. Causa invasionis avaritia, prætextus religio erat. Nam, cum Pizarrus copiis instructus Regem adoriretur, e medio profiliit monachus Ordinis Dominicani, *Vincencius de Valle viridi*, qui altera manu crucem, altera S. codicem gestans, per interpretem Regi significat, se Imperatoris mandato & auctoritate R. Pontificis, Servatoris Vicarii, ipsum adiisse, quippe qui terras ante incognitas Cæsari donaverit, ut missis eo doctis hominibus, Christi nomen propagaret latius, & paganos ab Idololatricis superstitionibus avocaret. Dehinc salutarem de Christo doctrinam explicat, & in eo finit sermonem, ut in clientelam se daret Hispaniarum Regi, eiqve tributum

tum penderet. His auditis *Attabaliba*: se haud gravate summi orbis Monarchæ amicitiam accepturum, ait, sed a se, tanquam Rege, tributa exigi, id vero sibi minus æquum ac honestum videri: Pontificem autem insigniter fatuum & impudentem esse, quod aliena tam liberaliter elargiatur. De religione vero: se suam nunquam abjecturum respondit. Si ipsi in Christum crederent, qui in cruce mortuus esset, se in Solem credere, qui nunquam moreretur. Tandem oblatum Bibliorum codicem in terram projecit, velut indignabundus. Hinc Monachus illico librum recolligere, & quantum poterat, clamoribus, ad cædem Hispanos accendere: *Agite Christiani, inquit, agite, & tam sædi facinoris pœnas expetite: Evangelia ludibrio habita & projecta sunt. Trucidate istos canes, qui legem DEI ita contumaciter aspernantur.* Cessit victoria Hispanis, captusque Rex Peruvianus & vinculis ferreis comprehensus est. Miser ille de injectis sibi catenis conquestus, Pizarro promittit, pro redimenda libertate tantum aureorum atque argenteorum vasorum se daturum, quantum implendo cœnaculo, in quo erat, sufficeret, ad id altitudinis, quò elata manu pertingere posset. Pretium pro redemptione *Attabalibe* persolutum, incredibilem pecuniæ summam implevit; sed tamen fidem non præstitit Pizarrus, quin potius in consilium adhibitis sociis, jam necandum, jam libertati restituendum censuit. Vicit tamen pars, quæ in mortem consensit, itaque accepto licet pretio, flammæ supplicium Regi indixit: nec precibus, nec lacrymis relictus est locus. Tandem, ea lege vitæ usuram pollicitus est,



si sacro fonte ablui sese pateretur. Ductus itaque ad
rogum, cum Christianus evadere cuperet, ipsius-
que Pizarri jussu baptizaretur, remissa quidem pœ-
næ atrocitas fuit, sed tamen, contra datam fidem
alligatus ad palum, injectoque cervicibus laqueo
interemptus est. Magno id consensu referunt Scri-
ptores Hispani, & simul horrendum facinus gra-
vissimi detestantur. Vid. Herrera *Hist. Ind.* p. 255. &
Hieron. Benzo *Hist. novi Orb.* p. 288.

§. XII. Refugit animus plura commemorare
crudelitatis exempla, ut properem ad fraudes, ar-
tesque Missionariorum, quibus Christianum no-
men propagare sustinent. Initio fictis miraculis
rem agunt, iisdemque simplicibus imponunt. Ex-
tat Emmanuelis Acoftæ *Historia rerum a Societate*
JESU in Oriente gestarum, qua nihil fere aliud,
quam res a Xaverio gestas recitat; quo pacto is
muto cuidam, usum lingvæ; pedibus capto, ingres-
sum; surdo auditum, divina quadam virtute red-
diderit; quomodo ægros sanarit, spiritus immundos
fugarit, & mortuos revocarit ad vitam, p. 71. seqq.
Sed alius quidam Acofta est, & ille ipse ex Socie-
tate JESU, cui Josephi prænomen, idemque rerum
in India gestarum *αὐτόπτης*, qui in libro, *de Procu-
randa Indorum Salute*, duobus fere capitibus ostendit,
non solum nulla apud Indos contigisse miracula,
sed scelera potius perpetrata fuisse, quæ in admira-
tionem & stuporem rapere Christianum hominem
possint. Vid. *Lib. II. c. 8. & 9.* Atque hic dissensus in-
ter Scriptores Pontificios de miraculis patris
fere perpetuus est. Io. Petrus Maffei, Scri-
ptor alioquin gravis, ac disertus, non Xaverium
tantum,

tantum, sed longe plures celebrat, qui signa fecerint,
& facinora ediderint inter barbaros stupenda, quæ
vel piget repetere. *Vid. Histor. Indic. Lib. XIV. p. 242.*
Et alibi. Contra Franciscus de Victoria; *se nihil au-*
dire de miraculis, inquit, aut de signis, quæ inter Indos
contigerint, Relect. V. de Indis, Sect. 2. Unde, quam
ficulnea & infirma ipsorum causa sit, liquido patet.

§. XIII. *Deinde* & illud artibus, & versutiæ Jesuiticæ
Societatis tribuendum est, quod non tam homines
clericos & rerum sacrarum intelligentes, quam Phi-
losophos & Mathematicos imprimis, quin & artis Me-
dicæ peritos deligant ad peregrinationes hæc obe-
undas. Sic, cum in Japonia quidam de meteoris, ori-
gine aquarum, natura ignis & similibus argumentis
nova quædam & recondita docerent, stupore quo-
dam percussi barbari, reverenter habuerunt hos
Philosophos, & doctrinas ipsorum amplexi sunt, re-
ferente Arnaldo Montano, *in Itinerario Japonico,*
p. 218. Nec dissimili astu Iberis, Asiæ populis, im-
posuerunt Missionarii, cum capite Cetabæ marty-
ris ostentato (quod tamen furis cujusdam e pati-
bulo suspensi fuit) morbos etiam difficillimos tol-
lerent. Cum enim medicinam edocti fuissent,
morbis lethalibus infectos dimittebant, velut impæ-
nitentes, & DEI beneficio indignos: quos vero mor-
bos leviores esse intelligebant, iis adhibebant reme-
dia, & sic se, ut œconomos salutis & ministros
Pontificis Romani, hunc vero ut Christi vicarium
mirifice deprædicabant. Extat de his epistola Gre-
gorii Hieromonachi, *in Mysteriis Patrum Jesuitarum*
pag. 215. Matheseos imprimis cultores magni æsti-
mabantur; adeo ut a Sinensibus ad summam ali-
quando

quando dignitatem fuerint evecti. *Adamus certe Schallius*, in has regiones missus, vix unum & alterum libellum pro causa religionis scripsit, at in Mathematicum scientiis ultra LII. volumina confecit, quo consecutus id fuit, ut Præsidis nomen inter astrologos impetraret, tandemque inter Mandarinos, i. e. principes istius nationis, referretur. Eadem *Verbiesto* contigit dignitas: *Buglium* autem & *Herdrich-tum* tanti fecit Imperator, ut mortuos deinceps funebri elogio dignaretur, velut notat Cl. Bælius, dans *les Nouvelles de la Rep. des Lettres de l' an. 1684. p. 155.* Aliquando tamen & hominibus rudissimis hæ partes deferuntur: *Quidam Missionarii sunt. solo nomine. Non enim ullam functionem sacram exercent, sed missiones ideo tantum illis conceduntur, ut hoc pretextu doctorales queant honores immerentes adipisci. Nempe, cum quis Cardinalis Monachum sibi obnoxium ad majora evehere postulat, atque is forte penitus rudis deprehenditur, nec spes apparet, quod doctrinae beneficio in gradum Doctoris eum queat extollere, curat et dare diploma Missionarii; ceu ex scriptore Italo refert Dn. Wagenfeilius in *Telis igneis Satanae* p. 93. Verum, nec qui illiteratus homo est, nec qui seculares tantum literas callet, ad hoc munus a Deo vocatus censeretur debet; nemo enim sibi ipsi debet sumere honorem, sed qui etiam a Deo vocatus sit, ut Aaron, i. e. legitime. *Hebr. V, 4.**

§. XIV. Porro autem, ad sectam hanc amplificandam plurimum faciebat, quod xenodochia & hospitalia ædes exstruerent Missionarii, quibus orphanis inprimis ac egenis alebantur. Duo hujusmodi hospitalia in Japonia Lojolitas habuisse, quorum alterum plagis vulneribusque curandis, alterum educandæ juven-

juventuti destinatum fuerit, Emm. Acoſta refert. Cum proinde ægrotos ac pauperes parum curarent Sacerdotes gentilium, ingens hominum multitudo ad Patres Romanenſes confluebat, & Chriſti cultum amplectebatur. Interim ipſi, ut palliata mendicabula obambulabant, & ſumptus a magnatibus eblandiebantur. Rem ipſam Acoſta tradit, *Epist. Japonic. p. 121.* ſed rationem ſtatus addit. Arn. Montanus. *Itiner. Japon. p. 217.*

§. XV. Tandem, ne plura nunc cumulem, modus convertendi paganos impius plane & profanus ille eſt, quo Miſſionarii Sinenſes non modo ſuperſtitioſus cultus paganis Catechumenis indulgent, ſed ne myſterium quidem de Chriſto aperte proponunt, hoc ſub prætextu, ne Evangelio, de morte Chriſti, oculatiſſimos homines offendant. Quo quidem Syncretiſmo nihil deteſtabilius, nihilque magis præpoſterum eſt; cum hujusmodi converſio, alterius viciffim converſionis indigeat. Late patet hæc diſputatio, quæ auctoribus *Joh. Baptiſta de Morales, Dominicano, & Franciſco Furtado, S. I.* in ipſis Sinis, initium ſumpſit, & hodiernum inter Dominicanos & Patres Societatis viget. Præcipue opponunt Fratres Dominicani, quod Miſſionarii Societatis permittant Neophytis cultum Idoli *Chim Hoam*; quippe cujus templum hi ſingulis menſibus frequentent, quin & flexis genibus, & capite ad terram inclinato & oblatione ſuffituum, devenerentur. Verum reſpondent Patres Societatis, & initio negant, ſuo indultu & approbatione id fieri, nec, quod mali auditores committunt, id piis ſtatim Sacerdotibus tribuendum. Præterea modos allegant, quibus evitari Idololatria

C

latria

latria possit a Neophytis, ut maxime frequentatio
templi Idololatrici permittatur. Nam plerosque
omnes sic edoctos esse, ut *Chim Hoam* non pro Ido-
lo, sed pro Angelo quodam tutelari habeant, qui
mœnibus & fossis præsit. Hinc enim nomen Ido-
lo huic inditum fuisse; cultum vero Angelorum
Sineses quondam a Judæis accepisse. Aliquando
cum pluviae exorandæ causa hoc templum adeant,
in theatro crucem collocare, nec adeo Idolum, sed
ipsummet Christum sub illa colere. Nonnunquam
in altari *Chim Hoam*, tabulam, Christi nomine inscri-
ptam, conspici, ipsique Domino, loco Idoli, sacra fie-
ri. Sed enim vero, ut jus tertii orthodoxum nobis
integrum servemus, *πρωτον ψευδος* est, Idololatriam
subtilem, quæ non tam in objectum, quam in mo-
dum cultus impingit, non pugnare contra præce-
ptum DEI; uti certe pugnat. Nam nec Judæi in de-
serto vitulum ipsum, sed sub hoc symbolo saltem ve-
rum Numen adorabant; & tamen pœnas DEO da-
bant gravissimas, *Exod. XXXII, 4*. Nec Israelitæ a Deo
defecisse videri volebant; cum in collibus accende-
rent suffitus, & sub quercetis umbraticis ex more
gentilium sacra facerent, & tamen fornicari, &
cum Idolis scortari dicuntur, *Hof. IV, 15*. Vid. Furtadi
informatio de praxi Missionar. p. 9.

§. XVI. Deinde urgent Dominicani, quod Pa-
tres Societatis similiter Neophytis permittant adô-
rare *Confucium*, Philosophum Sinesem, sic, ut in
templum hujus Magistri procedant, eiqve sacrificia
offerant. Sed respondent Missionarii ex Socie-
tate: Confucium honorari non ut DEUM, sed ut
clarum Magistrum, sicut Platonem olim coluerunt
disci-

discipuli. Porro honores ipsi exhiberi solitos male appellari sacrificia, cum minime colatur ut DEUS, sed tantum, *Regis*, vel quod Sinensibus majus est, *Magistri* titulo afficiatur, nec proinde hunc cultum alium, quam civilem, dici posse. Sed concedit tamen Furtadus, alio quodam honoris genere bis in anno Christianos colere Confucium, quo eidem offerantur *vitulus mortuus, vinum & serica*, qui tamen cultus velut supersticiosus, nec probetur Patribus, nec permittatur. *Vid. Epist. Furtadi in Act. Sinens. pag. 10.* Ita vigere hanc superstitionem concedit Lojolita, ut non approbet, sed publico velut privilegio permittat. Ex disciplina autem & methodo convertendi Jesuitarum hæc omnia fluunt, uti liquidissimum est. Jam pridem a nostris evictum, ne sanctos quidem religioso cultu afficiendos esse, nunc eo res rediit, ut Christiani, ipsosmet paganos vel adorent, vel oblatibus etiam victimis, more gentilium, colant.

§. XVII. Ceterum & illud deprehensum in Missionariis Jesuiticis fuit, quod doctrinas de passione, cruce & morte Christi parcius inculcaverint, nec in Ecclesiis Christi crucifixi imaginem semper exposuerint, ne insolita hac concione infirmorum aures offenderentur. Verum ad voluntatem Pontificis R. provocant illi, qui una cum *Congregatione de propaganda fide*, in hunc modum decreverit: *ad actualem de Christi Domini passione prædicationem in singulis concionibus faciendam, ministros Evangelicos non teneri, sed primum baptismo omnino præmittendam, deinde prudenter & opportune proponendam esse.* Exponi proinde hodie imaginem crucifixi, sed cum opportunum illud sit, & per hoc Romani Pontificis & Ecclesiæ vo-

luntatem expleri. Interim fateatur Philippuccius: primi apud nos divinae legis Praedicatores non perpetuo de hoc concionantes gravissime peccarunt, & suo muneri plurimum defuerunt. Tr. de cultu Confucii in Act. Sin. p. 82. Bene quidem habet, quod errores suorum agnoscit Pontificius, interim in hoc excusari vix possunt, quod ob metum scandali Evangelium de Christo praedicare erubescunt. Multo aliter Apostolus ad Romanos, peraeque gentiles, scribens: Non me pudet, inquit, Evangelii de Christo, siquidem potentia DEI est ad salutem, Rom. 1, 16. & ad Corinthios: Nos praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, & Graecis stultitiam. Visam enim est DEO, per stultitiam praedicationis salvos facere credentes, 1. Cor. 1, 21, 24. Itaque Timotheum suum hortatur: Ne unquam te pudeat testimonii Domini nostri, qui mortem quidem abolevit, vitam autem in lucem produxit, & immortalitatem per Evangelium, 2. Tim. 1, 8, 10. Atque ex his omnibus colligas, verissimum esse, quod Josephus Acoffa, vir ejusdem Societatis, de hisce Missionariis scripsit: Totam illorum catechizandi rationem esse umbratilem & scenam similem, de Procuranda Ind. Salut. Lib. IV. c. 3. Longe sunt plura hujusmodi capita, de quibus inter se disceptant utriusque ordinis viri, indigna tamen, quae hic reperantur, cum maximam partem ad superstitiosos ritus pertineant, quibus Ecclesia Romanensium abundat.

§. XVIII. Restat igitur, ut controversiam de Missionibus Clericorum ad gentes, seclusa hac εἰσαγγελία, & quoad rem ipsam expendamus. Extat Justi Heurnii, Medici cujusdam Reformati, Admonitio de legatione Evangelica ad Indos capeffenda, Lugd. Bat.

1618.

1618. ubi aliquot rationibus evincere conatur, necessitatem mittendi sacerdotes ad Indos: sed pervolventi hoc scriptum, illico suspectum se mihi reddidit auctor hypothesi, quam fovet, Chiliaistica, de omnibus Judæis peræque ac gentibus ante extremam diem convertendis, p. 20. et p. 131. Nam, cum Chiliaistæ, Qvakeri, Pieristæ, aliiqve fanatici immediatam ministrorum Ecclesiæ cum vocationem, tum illuminationem hodiernum in Ecclesia vigere statuunt; vel semetipsos pro Apostolis habent, vel certe Apostolos in orbem redituros somniant, qui Judæos primum, & dehinc omnes gentes ad unum quoddam ovile sint convocaturi. Hinc & alius quidam Calvinianus, *Hadrianus Sarravia*, libro de *diversis ministrorum gradibus*, cap. XVI. & seq. tradit, Apostolatam adhuc in Ecclesia vigere, adeoque omnes Episcopos, qui Ecclesiæ præsint, Apostolica adhuc auctoritate pollere. Itaque hac occasione quæstio sic instituitur: *An adhuc Apostolatus vigeat in Ecclesia?* i. e. Utrum hodiernum, præcisus illegitimis modis, quidam a DEO immediate excitati, donoque miraculorum instructi, ad convertendos paganos mittantur, vel saltem, ante finem mundi tales adhuc mittendi sint? Quod, ut paulo clarius definiamus, I.) concedimus omnino, *præconium Evangelii continuandum esse usque ad sæculi consummationem*; atque hoc ipso in fumum abeunt Heurnii objectiones, quibus annunciandam inter gentes DEI gloriam cumulatæ Scripturæ dictis ostendit, *Cap. I. p. 9. seqq.* Nulla enim gens tam diffita & ab hominum societate remota est, quin, vel vicinam habeat Ecclesiam, vel nationis Christianæ commerciis utatur,

vel ad minimum, micæ adhuc delibare possit de magna illa cœna, quam magnus œconomus circa vesperam mundi apparavit. Certe si non vox, tamen sonus Evangelizantium in omnem terram emanat, & in fines terrarum verba illorum, Rom. X, 18.

§. XIX. Nec II.) vera & Apostolica Christi Ecclesia esse desinit, quæ extraordinariis legationibus Indos ac barbaros ad Christum non convertit. Nam tametsi ratione doctrina & ministerii Evangelici, omnes, qui recte verbum DEI docent, & legitime administrant Sacramenta, Apostolorum successores sint; tamen ratione catholica prædicationis, ratione immediata vocationis, itemque doni miraculorum, & infallibilitatis Θεοπνεύστου, successores illorum Ecclesia Christiana ipsos non agnoscit. Nam potestas illa prædicandi Evangelium in toto terrarum orbe, Apostolis propria fuit, id quod ex προφῆσιν illa: inter omnes gentes, dispalescit: Euntes docete omnes gentes, Matth. XXVIII, 19. Oportet in nomine meo prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum inter omnes gentes, Luc. XXIV, 44. Prædicate Evangelium omni creaturæ, Marc. XVI, 15. Atque hæc potestas cum Apostolis exspiravit. Nam cum prævideret Sapiencia divina, innumeras hinc orituræ esse rixas, si quilibet quamlibet Ecclesiam sibi informandam sumeret, κατὰ τὸ ἔθνος omnia ἔχουσιν ἀποστολῶν administrari, & suos cuique Ecclesiæ ministros præfici voluit. Itaque Paulum & Barnabam suo adhuc ævo passim Presbyteros ordinasse legimus, κατ' ἐκκλησίαν, Act. XIV, 23. Sic & Ephesinæ Ecclesiæ tunc temporis certi Episcopi admoti sunt, Act. XX, 28. Ipse etiam gentilium Apostolus non novos ablegavit Missionarios ad gentes, sed Titum Cretæ

Cretæ reliquit, ut constitueret κατὰ πόλιν Presbyteros, Tit. I, 5. Quin & Petrus, jam fideliter perfunctus Apostolatu, & fere grandævus, ex mandato Christi pastorem agere debuit, i. e. certi gregis custodem. *Pasce oves meas*, Jo. XXI, 16. Unde & ipse Presbyteros, certis Ecclesiis præpositos pascere gregem Christi jubet, alios vero juniores iisdem obtemperare, 1. Petr. V, 3, 5. Ceterum immediatam vocationem, donum miraculorum & privilegium infallibilitatis juxta cum ætate Apostolorum desiisse res ipsa loquitur. *Respectu horum*, B. Gerhardus inquit, nullus fuit Apostolorum successor; sed Apostolatus fuit ordo temporarius & extraordinarius, qui una cum ipsis in Ecclesia desit, ac proinde ad ministros Ecclesie sequentium temporum non est propagatus: Id quod uberius explicat *Loc. de Ministr. Eccles. §. 220.*

§. XIX. Denique III.) non audaculi sacerdotis, sed Christiani magistratus, qui vel jure belli, vel alio iusto titulo paganos subjugavit, officium est, curam religionis habere, & sic demum, missis extra ordinem religionis hominibus, salutarem de Christo doctrinam propagare. Nam pervulgatum est illud: *Cujus est regio, illius etiam (quoad curam externam) est religio.* Quod si autem vel suo quodam raptu excitati, ut fanatici, vel opum & facultatum cupiditate illecti, ut plerique Pontificii, diffitas regiones peragrent, vereor, ne seditionis ac tumultus potius, quam veræ religionis femina sparsuri sint. *Principis tantum est doctrina illius promulgatio, que auctoritatem a DEO ipso habet, & facit, non ut doctrina promulgata sit vera, vel divina credenda, sed ut vera ista doctrina, cum jam promulgata est, non impediatur, aut oppugnetur a subditis,* verba B. Hoepffneri sunt, *Evangel. Saxon.*

Part.

Part. III. c. I. p. 148. ubi latius hoc argumentum
persequitur. Nec minus accuratum B. Hülsemani
de hoc iudicium est: *Infidelibus adhuc converten-*
dis, non requisito auditorum consensu, dantur predican-
tes; vel de consensu magistratus loci: vel jussu magistra-
tus alterius, qui jure belli, vel alia justa de causa, et si
non ex necessitate & obligatione juris divini specialis,
sed ex obligatione generali magistratus, ut provideat sub-
ditis suis, quocunque modo talibus, de informatione in
doctrina Christi. Ubi paulo post subnectit: Nullum
autem urget divinum mandatum iterandi doctrinam pu-
blicam apud ullam gentem, postquam singulis jam olim de
Christo predicatum est. Id quod perspicuis Scripturae
oraculis demonstrat, Rom. X, 22. Act. XVI, 12. 20. 21. 22.
Luc. X, 10. 11. Act. XVIII, 6. Col. I, 6. 23. Brev. p. 1452. Et si
proinde nos sugillent, cum fanatici, tum Pontificio-
rum Missionarii, quod, posthabito ordinario mune-
re, terras & maria non oberremus; tamen praxis Ec-
clesiae nostrae si bene constat, nec per hoc veri mini-
stri decus nobis aufertur: quin potius in ipsos qua-
drat illud Christi: Nunquid potest cecus cecum ducere?
Luc. 6, 39. Va vobis scribe & Pharisei hypocrite, quia circum-
itis mare & aridum, ut faciatis unum profelytum; & cum
fuert factus, facitis eum filium gebennae duplo magis,
quam vos estis; i. e. cum flagitiis paganis nec libere-
tur ille, & priora peccata accessione hypocrifeos ve-
strae augeat, majus ille supplicium per vos incurrit,
Matth. XXIII, 23. Non itaque est Doctoris Ecclesiae post
tempora Apostolorum nota genuina, B. Lyserus inquit,
novas sine vocatione peragrarare insulas, & Evangelium
predicare iis in locis, ubi Christus nondum annuntiatus
fuit. Aphorism. Apostol. ad Rom. Cap. XV, 20.

S. D. G.

EO - Beg 2002

01 A 6739

ULB Halle
003 096 890
ULB Sachsen-Anhalt
Ausschrieben
Datum: 2008



Sb.

D.

Reh. ✓

46
Juli





77.

DISPUTATIO
MISSIO
PONTIFICI

RECTORE MA
SERENISSIMO PR
DN. FRIDERICO
PRINCIPE REGIO, ET
ETC.

SUB P
DN. JO. GEOR
SS. THEOL. DOCT. ET
ELECTOR
ET ACAD. I

DOMINI, PATRONI
AETERNA MENTIS
AD D. SEPTEMI
PUBLICE

AUCTOR ET
M. JO. LAURENTI
WEISSENFELSI

EDITIO
VITEMBERGAE, L

